

**N**on pauci, illiq; Logicorum haud pro-  
 stremiti, vocabulum ἐλέγχος, quod reddunt  
 per redargutionem, significare putant  
 præconcessi negationem, vel antea nega-  
 ti.concessionem vi argumentationis & in eadem di-  
 sputatione. Hæc verò explicatio inde orta esse vide-  
 tur, quod *Arist. lib. 1. Soph. Elench. c. 3.* Primiarium  
 Sophistæ & litigia amantis scopum esse dicit ἐλεγχον.  
 Hunc vero *lib. 2. Priorum cap. 20. lib. 1. de Soph. elench.*  
*c. 1. §. 4. c. 6. §. 4. c. 9. §. 5.* definit syllogismum con-  
 tradictionis, vel cum contradictione conclusionis.  
 Hinc procul dubio existimarunt autores, Principali-  
 ter hoc intendi à Sophista, ut adversarium eò addu-  
 cat, quò is sibi ipsi contradicat, & hoc ipsum esse ἐλέγ-  
 χειν seu redarguere.

§. 2. Verù talis non erit scopus Sophistæ, neq; enim  
 illum facile assequi posset, nec ἐλέγχειν simpliciter fi-  
 nis dicitur ejus à Philosopho; sed cum addito videri  
 ἐλέγχειν; quin potius ita redarguere posse, uti illud  
 describitur *lib. 1. de Soph. Elench. c. 5. §. 4.* non est ni-  
 si Sipientis in quavis cognitione *c. 1. & 8.* Dicimus au-  
 tem ἐλεγχον esse Syllogismum cujus conclusio contra-  
 dicat assertioni seu positioni alterius, imprimis falsæ,  
 quod constare potest ex locis cit:

§. 3. ἐλέγχος circa locum *Ebr. 11. v. 1.* reddi solet per  
 argumentum, demonstrationem, probationem fir-  
 missimam, & rectè quidem: interim tamen, si vim  
 vocis ex dictis considerare velimus, non erit simpli-  
 citer argumentum, sed tale argumentum & talis de-  
 monstratio, cujus conclusio assertioni alterius con-  
 tradicat, sive probatio alicujus propositionis, quæ ad-  
 versarij sententiæ falsæ opponatur, & ἐλέγχειν erit cō-  
 tradicere alicui, ratione producta,

A 2

§. 4. Hanc